De adjectivorum motione anomala
P. III.

qua

orationes

ad celebrandam matronae nobilissimae

D. a Kreytzen e gente Kospothorum

et

viri clarissimi

Joh. Diterici a Tettau

memoriam

publice

in auditorio maximo habendas

D. XXIII. Juni

indicit

G. A. Lobeck.
Antiq. Lit. Prof.

Regiomonti Borussorum,
typis academicis Hartungianis.
MDCCCXXXI.

Restat disceptatio nominum in literam N terminantium; quo ex genere quod olim memoravi ἀπτῆσιν τέκεσιν [1]) in Eueni Epigr. XIII. nunc omitto, quoniam ea est Brunckii emendatio non admodum necessaria. In universum valet Herodiani regula Anecd. Ind. p. 1385. a. εἰς ων οὐδέτερον μονογενὲς [2]) ἢ εἰς ην ἢ εἰς αν ἢ εἰς εν ἢ εἰς ιν ἢ εἰς υν οὐκ ἔστιν εὑρεῖν· τὸ γὰρ ἰθύτρην παρὰ Ἐπιχάρμῳ βεβίασται· quod pro ἰθύτρητον positum esse videtur. Obliquus casus λασιαύχενος ἄντρου legitur in Theocriti Epigr. V. ubi λασιαυχένου dici poterat ut πολυαύχενον αἷμα Nonn. II. 352. Sed idem ausus est pedestris scriptor, Themistius Or. XXVII. 332. ἐν ἀφανεῖ χωρίῳ οὐδὲ ἐν ἡμέρῳ καὶ Ἕλληνι, nisi ille, quod mihi quidem secus videtur, ἑλληνικῷ scripsit; Xenophanes Fragm. XXII. p. 75. et Philippus Anth. Pal. VII. n. 385. substantivo neutrius generis ἑλλαδικόν aptius crediderunt. Verum longe amplius processit Callimachus. Anecd. p. 1198. τῷ

---

[1]) Nominativus legitur apud Grammaticos. Etym. M. p. 133. 38. ἀπτήν (scr. ἀπτῆνα) τὴν μηδέπω πτᾶσαν· παρὰ πέτω πετὴν καὶ πτήν καὶ ἀπτήν. Cum nomine fictitio πέτην Phavorinus Eclog. p. 219. comparat controversum illud ζαήν, de quo v. Eustash. p. 1723. 36.

[2]) Ita excluditur πέος εὔχρων Arist. Thesm. 644. μελίχροϊ νέκταρι Tryphiod. 115.

κάνονι ἀντίκειται τὸ εἴρην· τοῦτο γὰρ ὁ Καλλίμαχος διὰ τοῦ ε ἔκλινεν εἰπὼν Ἀλλ' ἀντὶ βρεφέων πολλῶν (πόλλ') εἴρενα μέσσων[3]), καὶ ταῦτα μὴ ἔχοντος αὐτοῦ οὐδετέρου παρασχηματισμόν. Similis aberrationis exemplum nullum afferre possum, sed libet hoc loco singularis cujusdam praeceptionis, quae ad nomina in ην spectat, memoriam renovare. Scholiastes Arati ad v. 78. διχόμηνι σελήνη dictum putat ἀντὶ τοῦ διχομήνῳ· οὐ δεῖ δὲ τῶν μεταπλασμῶν (μεταπεπλασμένων) τὰς εὐθείας ἐπιζητεῖν ὥσπερ καὶ τὸ ἐρυσάρματες· quibus prorsus consentiunt Choeroboscus Anecd. p. 1226. Theodosius p. 1003. Joannes de Ton. p. 11. Etym. M. p. 180. 4. διχόμηνι aut ex διχομήνιδι concisum aut metaplasmo effectum esse ut πολυπάταγι, μελίκρατι, χαλκόκρατι. Ac de duobus quidem postremis vocabulis ut ita statuerent, adduxit eos accentus, quem, si integra essent vocabula, in penultima ponendum putabant; illa de διχόμηνι ariolatio hinc orta videtur, quod a nomine μήν multa nossent composita adjectiva in ος et ις, nullum vero in ην. Idem Choeroboscus p. 1267. tradit Sophoclem ὅπλοις ἀῤῥῶξι dixisse pro ἀῤῥήκτοις κατὰ μεταπλασμόν· cujus sententiae non aliam rationem fuisse arbitror, quam quod terminatio illa in duobus primariis casibus neutri generi insociabilis est. Sed quia metaplasmi plus semel mentionem fecimus, hoc genus anomaliae, quod apud veteres Technicos utramque paginam facit variasque heteroclisiae species complectitur, paullo accuratius definire conabimur.

Primum occurrunt casus anomali λιτί, στάδα, κλύδα etc. quorum nominativus par et conveniens aut non reperitur apud

---

[3]) Pro hoc vocabulo facile est substituere, quod et vulgatae simile et complendae sententiae aptum sit, sed nullus conjecturae fructus erit. Fortasse hic versus quem Blomfieldus e Lascare addidit, N. CCCCXCVII pertinet ad Fragm. CCCIV. μητέρας ἐξεκένωσαν, ἐκούφισσάν τε τιθήνας, quod ille ἐπὶ τῶν ἀπολομένων νηπίων dixit. Alibi εἰρήν scribitur, ut solent nomina in ην.

auctores aut ne fingi quidem salvis analogiae legibus potest. Sed de primo jam Wolfius disputavit Anall. T. II. 507. Herodianoque, qui *λιτί* pro *λιτῷ* subrepsisse propterea statuebat, quod nulla vox in *ῑς* terminata per *τ* declinaretur, respondit id quod Ptolemaeus sensisse videtur, multa esse vocabula *μονήρη* neque quidquam obstare quominus in hoc numero referatur *λίς, λιτός*. Sequitur *στάδα*. De quo Draco nos docet p. 103. nomina monosyllaba *ἀπαθῆ* et *ἀπαρασχήματιστα*, quae ancipitem contineant, eam productam habere, excepto pronomine *τίς*: *τὸ δὲ στάδα λίμνην ἢ κλάδα χρυσεύκαρπον οὐχ ἕξει τινὰ ὀξεῖαν στὰς ἢ κλάς· μεταπλασμοὶ γάρ εἰσι*, quae eadem leguntur p. 36. et minus plene in Regulis prosod. ab Hermanno editis p. 433. Hi igitur quum intellexissent nominativum *στάς*, si brevis esset, analogiae adversari, si aliter se haberet, non posse bibrevem accusativum ex se progignere, ad metaplasin relapsi sunt, quae fortasse adhiberi potest explicando *κλαδί* et *κλάδα*, sed ad *στάδα* tum demum conveniret si masculinum *στάδος* aut saltem similia quaedam v. c. *ἄμφαδος, ἔμβαδος, αὐτόσχεδος* in medium proferri possent[4]). Imo fuerunt qui omisso metaplasmi praetextu *στάδα* ex *εὔσταδα* corruptum dicerent eadem ratione qua *ἠνορέη* post *εὐηνορέη* extitisset Anecd. p. 1242. cf. Etym. M. 432, 35. Ac nescio an haec ipsius Apollonii sententia fuerit qui simplicia *ἠνορέη, σαφής, ψευδής, φρονεῖν*, non antecessisse compositis sed ad eorum exemplum ficta esse statuit de Conj. p. 499. de Adv. p. 546. duabus ille rationibus nixus, quarum una ab epithetis

4) *Αμφαδος*, quod Lexicographi recentiores supponunt, nititur homerico loco Od. XIX. 391. *μὴ ἀμφαδά ἔργα γένοιτο*, cui nihil adnotat Eustathius sed p. 1464. 50. adverbium *ἀναφανδά* dicit *ἐσχηματίσθαι πληθυντικῶς ἐκ τοῦ ἀναφανδόν ἐπιῤῥηματικοῦ ὀνόματος*. Adjectivum *χανδός* adversus Schneiderum tuetur Jacobsius ad Anth. Pal. p. 959. *Εμβαδός* caduca Graecitas usurpavit sed alio significatu. In utroque remanet accentus adverbiorum.

ducta [5]) perspicue falsa, altera non satis explorata est [6]). De voce solitaria *στάδα* sine dubio valet quod de multis aliis, eam esse nominativi ineffabilis propaginem spuriam. Nam ne *στάς* aut *κλάς*, quod Matthiae proponit Gramm. §. 92. p. 200. aut alium his similem nominativum in usu fuisse statuamus, prohibet illud de monosyllaborum mensura praeceptum saepius iteratum v. Etym. M. p. 446, 24. p. 635, 21. p. 809, 23. Draco l. c. Choeroboscus Anecd. p. 1361. [7]) quod ad utrumque sermonem pertinet, sed non eodem modo. Nam in latina lingua sex inveniuntur monosyllaba nomina brachycatalecta; de graecis Etym. M. p. 635, 20. et Choeroboscus l. c. tria tantummodo afferunt praeter pronomina, quae omnino in censum non veniunt: *πός*, *δέν*, et aeolicum *πάν*. De primo ne qua dubitatio oriatur (nam verba poetae quae testimonii loco afferuntur, mendosius scripta sunt) idem confirmat Hesychius *πόρ, πούς, Λάκωνες*. Secundo, quod ipsum pronominalibus prope accedit, usi sunt Democritus ap. Plutarch. c. Col. IV. 143. *μὴ μᾶλλον τὸ δὲν ἢ τὸ οὐδὲν εἶναι*, et Alcaeus Fragm. LXXXIX. 62. *οὐδὲν ἐκ δενὸς γένοιτο*, uterque in antithesi; de postremo dixerunt alii. Pro *Ζόρ, ἡλικία ἐλάφου ἢ δορκός* apud

---

5) Frigidum foret veterum judicio *Ξάνθος ῥέων* Schol. Ven. IV. 434. *ταφρός ὀρυκτή* X. 198. nisi intelligeretur *εὖ ῥέων, εὖ ὀρυχθεῖσα*. Hoc vix senserunt Theocritus XXV. 19. *ποταμοῖο ῥέοντος*, et Maximus Tyr. XX. 380. *ποταμοὺς ῥέοντας*, neque qui *τυχεῖν* dixerunt pro *εὐτυχεῖν* v. Jacobs. ad Philostr. p. 307. Similiter Etym. M. 769, 40. *τρόφι* pro *εὔτροφι* dici judicat.

6) Cum *σαφής, ψευδής*, Lehrsius Quaest. Epicc. Spec. I. 35. componit *ἠνεκής* et *ἀγής* de quo Anecd. p. 337. *τοῦτο καταλείπεται ἀπὸ συνθέτου τοῦ εὐαγής ἢ παναγής*. Adde *φραδής*. Ac fuerunt etiam quibus adjectivum *θανής* placeret. Schol. Med. Od. M. 22. et Eustathius p. 1705. 69. *τὸ δισθανέες ἐν δυσὶ μέρεσι λόγου ἀναγινώσκει Ἀπολλόδωρος*. De *μιγής* jure dubitat Schneiderus.

7) In verborum inclinamentis tria numerant *ἕς, θές, δός*. Schol. Mediol. Od. I. 297. omissis imperativis *φρές*, quem Etym. M. incertum qua fide proponit, et *σχές*.

Hesychium probabiliter *Ζόῤξ* reponunt; neque aliud mihi hujus formae et mensurae vocabulum succurrit. Nam *κτίς*, quod Lexicographi nostri afferunt, veteres magistri merito explodunt ut brachycatalectum v. Schol. Ven. K. 334. *Δίς* autem apud Rhinthonem eadem mensura fuisse qua *λίς* et *ἴς*, ex ipsa Choerobosci argumentatione apparet Anecd. p. 1194. negantis obliquos casus, in quibus ῐ semper sit breve, ab illo nominativo duci posse. Ac *Ῥάρ* quoque, quod nomen Photius tradit Triptolemi patrem habuisse (ceteri *Ῥᾶρον* vocant) non dubito quin eodem modo pronunciatum sit ut *Κάρ*. *Κάς, δέρμα* ap. Hesych. simplex fortasse longam habuit vocalem quae brevis est in *σκατοφάγος*. Postremo legimus apud eundem *Φρίν, φρένα*, mendose scriptum fortasse pro *φρόνιν*, nam ejusmodi accusativum graecus sermo non fert. Sed idem affert nominum inclinamenta, quorum si prima positio ad amussim quaeratur, ad monosyllabum brachycatalectum redeundum erit: *Βλίδες* (*βλύδες*) *ψεκάδες*, *Σφίδες, χορδαὶ μαγειρικαί*,[8]) *Σχίδα* (nisi doricum est) *σίνδονος πῆγμα* (scr. *ῥῆγμα*) et *ψίδες, ψιάδες, ψεκάδες*, nisi media vox prioris correctio est; apud Suidan vero *Νίδες αἰδοῖα παιδίων*. Sed pro postremo Photius *Νίίδες* scribit, neque necesse est aut huic aut antecedenti vocabulo brevem praestruere nominativum. Superiora autem exempla, *σφίδες, σχίδα*, si incorrupta sunt, veteres Grammaticos credibile est ad metaplasmos retulisse, quemadmodum Eustathius p. 865, 32. accusativum *κνίδα* quem Nicander usurpavit, ex *κνίδην* transfiguratum putat; nos vero casus acephalos dicemus, sicut *βλύδες* et *κλύδα*, quorum nullus extat paraschematismus, nec fingi potest propter brevitatem vocalis nominativus regularis.

Ad alteram classem pertinent nomina, quorum prima positio non legitur quidem apud antiquos sed analogiae legibus congruit,

[8]) Idem est *σφίζω* et *σχίζω*. ab hoc scindo proficiscitur, ab illo findo, omisso sigma, quod cum f et *ν* consociari nequit, (quare fungus pro *σφογγος*) et praeterea fides, fimbria, filum, filix, quae graece propter filorum similitudinem *πτέρις* dicitur, *εἶδος βοτάνης ὅμοιον πτερῷ* Schol. Theocr. III. 13.

velut *ἀλκί, ἄλκα, σκέπα, κρόκα,* quibus Aristarchus nominativum abjudicat[9]) tum *στιχός, στίχες*[10]) *λίβα, νάρκα, νίφα,*[11]) *στάγες, βρύχα*[12]) quae recentiores Grammatici eandem ob causam heteroclitis adnumerant, quanquam de neutro genere demonstrari potest nominativo caruisse neque interdictum illud Schol. Ven. *Α.* 395. *εὐθεῖαν μὴ εὑρημένην ἀναπλάττειν εὔηθες*[13]) aut Seleucum absterruit, quominus *ἄϊδος* ad *ἄϊς* referret Schol. A. v. 3. Etym. M. 42, 17. aut Ptolemaeum, ne *ἀλκί* ab *ἄλξ* repeteret Schol. *Ε.*

---

[9]) Schol. Ven. *Ε.* 299. *Ἀρίσταρχος λέγει ὅτι ἔθος τοῖς Αἰολεῦσίν ἐστι λέγειν τὴν ἰωκὴν ἰῶκα, τὴν κρόκην κρόκα, τὴν ἄλκην ἄλκα.* Schol. O. 320. *κατενῶπα Ἀρίσταρχος προπερισπᾶ, ἵν' ᾖ ἀπὸ τοῦ ἐνωπήν, ὡς ἰῶκα.* cf. Etym. M. s. *Ενωπῆ* et *Κατ' ἐνῶπα,* quo loco Herodianus syncopen praefert *κατένωπα* scribens; sed *λιτί* et *κλαδί* idem metaplastis adjecit Schol. *Σ.* 352.

[10]) *Στίξ* legitur apud scriptores Tacticos; nominativus appellativi *λίψ*, quem Etym. M. in ordinem recepit, certe non plus offensionis habet quam proprii *Λίψ*, quo plures utuntur.

[11]) Aliam viam ingressus est Proculus ad Hesiod. Opp. 530. *τρισὶν ἀποκοπαῖς ὀνομάτων ἐχρήσατο, σκέπα, νίφα, γλάφυ.* Adde alteram formam a Suida servatam *Νίβα, χιόνα· καλεῖται οὕτω καὶ κρήνη ἐν Θράκῃ* scil. *Νίψ.*

[12]) *Βρύξ* a Grammaticis praestruitur explicando adverbio *ὑπόβρυχα* Schol. Mediol. Od. E. 319. quod Schol. Ven. I. 461. apte cum *δίπτυχα* componit. Ceterum eadem dubitatio ad omnia hujus generis monosyllaba transferri potest, quorum primus casus non noscitur: *Βλίκες, φύλλα συκῆς — Κρύβες νεκροί — Νέκες νεκροί — Κρίκα, κρίκον — Φάρκες, νεοσσοί,* Hesych. etc. *Ῥύπα* plurale esse jam veteres suspicati sunt v. Schol. Ven. *Ψ.* 254.

[13]) Cf. Schol. Arat. l. c. Schol. Ven. *χ.* 28. *ὅτι κατὰ πτῶσιν γίνονται μεταπλασμοὶ ἐξουσίᾳ ποιητικῇ δεδήλωταί μοι ἐν ἄλλοις. Ὃν οὖν τρόπον ἡ ἐγκάτοις ἔγκασιν ἐγένετο καὶ οὐκ ἀναγκαζόμεθα ἑνικὴν εὐθεῖαν ἀκόλουθον ἐπιζητεῖν, ἥ τε προβάτοις πρόβασιν, ἥ τε πετάλοις πέταλσιν* (cf. Etym. M. p. 245, 52.) *οὕτως ἄστροις ἄστρασιν, ἐπεισελθόντος τοῦ α, ἵνα συστῇ ἡ λέξις.* (In seqq. *πλεονασμός* subrepsit pro *μεταπλασμός,* ut in Schol. Vict. ad Nubb. 657. et in cod. Gregorii Cor. p. 62.)

299.[14]) neque scio quid huic opponi possit nisi hoc, graecum sermonem nullum habere nomen simile latino falx, calx, neque e *μαλακός* fieri *μάλξ* sed *βλάξ*[15]).

A monosyllabis ad vocabula duarum et plurium syllabarum progrediar, quae vel ob *ἐπαλληλίαν* nominativo renunciarunt, ut *Μόψοψ*, quod Stephanus s. *Μοψοπία* dici negat, vel ob asymplocorum concursum, ut nominativus adjectivi *πολύαρνι*, substantivi *διθύραμβα*, quibuscum proximam cognationem habet *Βερέκυνς*, quod idem Stephanus *ἄῤῥητον* esse affirmat[16]) et fortasse plura hujus modi, *Τίρυνς, ἕλμινς, πείρινς*, quorum nominativoram primus a docto Ethnicorum explanatore sine nota transmittitur, sed, quoad equidem meminerim, nullum locupletem testem habet neque sine ratione a Scylace declinatus videtur in Peripl. p. 19. T. I. Huds. *ἐν μεσογείᾳ Κλεῶναι καὶ Μυκῆναι καὶ Τίρυνθα*, ubi Gailius c. 50. p. 267. audacter reposuit *Τίρυνς*, non recordatus similiter pro absono *πείρινς* substitutum esse *ἡ πείρινθα* et *πείρινθος*.

---

[14]) Schol. Ven. N. 471. *ἀλκὶ ἀπὸ τῆς ἄλξ εὐθείας, ὅθεν ἄλξις καὶ ἔπαλξις.* A futuro *ἀλξω* ducit Methodius Etym. M. p. 55, 56. p. 69, 34. ut vulgo Grammatici solent nomina, quae unam e tribus characteristicis futuri literis finalem habent, ab hoc tempore repetere, *ἐλπίς, ἰσχύς, στίξ, θρίξ, ἴψ, λιψ*, exceptis adjectivis quae secundae perfecti passivi personae subjiciunt *ἀκμής, οἰνοπλήξ* etc. Hodie si viverent, fortasse sic dicerent, sigma illud *κλιτικόν*, quod formandis futuris, aoristis primis et passivorum personis secundis assumitur, idem subservire propagandis a stirpe ineffabili nominibus.

[15]) Idem valet de nomine *δόρψ*, ex quo nonnulli *δόρπα* declinatum putarunt Schol. Ven. *Ω*. 447.

[16]) *Βερέκυντα χῶρον* et *βερέκυντα βρόμον* Sophocles dixit, *βερέκυντα πάταγον* Nonnus XLIV. 140.

END OF
TITLE